CONSPECTUS

NOSOGRAPHIAE PANCREATIS

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILELMIA
RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ET PUBLICE DEFENDET A. MDCCCXXXVI
DIE IX. IANUARII

HERMANN. JOS. UNCKELL

RHENANUS-BORUSSUS.

BONNAE,
TYPIS FRANCISCI BAADENI.

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE

MED. CHIRURG. ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN. DIRECTORI INSTITUTI CLINICI MEDICI BONNENSIS, ORD. AQUIL. RUBR. IV. CL. EQUITI, SOCIET. LITT. COMPLUR. SODALI, ETC. ETC.

NEC NON

AMICO PATERNO

HENRICO VAN GHEMEN

D. D. D.

AUCTOR

LECTORI
S.

In arte nostra medicus iuvenis, quem ad doctoris honores rite capessendos libellum perscribere oportet, facile in dubio haeret atque versatur, non quidem propter inopiam aut confectionem aut diffic ltatem rerum, quas sibi tractandos eligat, sed propter ipsarum abundantiam et exiguam in medicina experientiam.

Pergratum igitur mihi fuit, quum Illustr. Nasse, *praeceptor quam maxime colendus, diagnosin morborum prancreatis investigandam mihi proponeret. Licet vero haud parvas hac in re perscrutanda difficultates mihi superandas esse intelligerem, quum omnibus fere in observationibus cum affectione pancreatis aliorum quoque organorum morbi inveniantur, ita ut symptomata morborum variorum organorum permixta occurrant: lubentissime tamen laborem suscepi, tum quod vir cl. nota sua erga discipulos liberalitate atque humanitate libris me adiuturum se esse pollicitus est, tum quia mihi occasio se praebebat, pancreatis morbidi symptomata praecipua in aegroto, quem Dr.* d'Ester *in clinico Bonnensi curabat, observandi.*

Iam nil amplius restat, quam ut gratias agam quam maximas viris illustr. Frid. Nasse, Harless, *et* Nasse *jun. pro singulari erga me liberalitate atque benevolentia, qua in dissertatione elaboranda libris me adiuverunt, nec non Dr.* d'Ester *pro amicitia, qua observationem ad describendum mihi tradidit.*

Lectorem autem, ut propenso animo hunc libellum iudicet, rogo, neve cogitare omittat, tironem fuisse, qui eum perscripserit.

THESES.

I.

In vomitu habituali tempus, quo vomitus evenit, non est certum signum ad morbi sedem definiendam.

II.

Nutrix aegritudinem suam facile cum infante communicat.

III.

Unicum desperati cancri remedium culter.

IV.

In laesionibus capitis vehementibus terebratio statim instituenda.

V.

Synchondrotomia omnino reiicienda.

VI.

Foetus vivi perforatio non semper damnosa.

VII.

Succi pancreatici est, cibos et concoquere et diluere.

VIII.

Funiculus umbilicalis ligandus.

Diagnosis morborum pancreatis generalis.

Difficillimum est saepissime diagnosin pancreatis morborum eruere quum hoc organum tam reconditum atque aliis organis reconditum sit. Pembertonius[1]) dicit solum methodo exclusiva ad diagnosin perveniri posse: dolorem enim in regione epigastrica profunde sedentem atque maciem, signis alius morbi aliorum hic sitorum organorum absentibus, pancreatis morbum indicare. Macies ad morbos pancreatis cognoscendos magni quidem momenti et plerumque tanta est, ut cutis in ossibus haerere videatur[2]) atque ita organum affectum tactu melius dignoscendnm sit; nonnunquam etiam hydrops, qui tamen rarius, quam in aliis aliorum viscerum affectionibus occurrere solet, cognitionem difficilem

---

[1]) *C. R. Pemberton* prakt. Untersuchungen über verschiedene Krankheiten des Unterleibs. Aus dem Engl. von *Gerh. von dem Busch.* Bremen 1807. S. 71—77.

[2]) *Becourt.* Recherches sur le pancr. Strassbourg 1830. pag: 75.

reddere potest, ut Abercrombie[1]) aliique observarunt. Accedit, quod pancreas tumefactum plerumque ventriculum, duodenum, hepar, lien premit, quare pancreatis morborum symptomata non pura, sed cum symptomatis morborum illorum organorum conjuncta sunt, ita ut, quum multa symptomata sint, quae morbis illorum organorum communia sunt, morbi ipsi facile confundi possint[2]). Symptomata autem ad pancreas affectum pertinentia, maxime haecce aestimanda sunt:[3])

Pyrosis praecipue ventriculo pleno, ascensus ardoris per oesophagum, quem eructatio materiae salivalis sequitur, salivatio oris, vomituritiones et ipse vomitus, qui secunda vel quarta hora post coenam sequi solet; dolor obtusus gravativus modo vagus intermittens supra umbilicum in unum alterunve hypochondrium se extendens, modo intensivus fixus permanens, qui aliquod post cibos sumptor horis exacerbetur.

Signum pathognomonicum est, quod aegrotus dolores plerumque in columna vertebrali se sentire putat. Pembertonius, una manu in columna vertebrali posita, altera manu regionem epigastricam fortiter premit, ut ex doloris genere de morbi sede

---

1) *Abercrombie*, pathol. und prakt. Untersuchungen. Aus dem Engl. von *Gerh. von dem Busch.* Bremen 1830. II. S. 516.

2) *Schmackpfeffer* disfert. sistens observationes de quibusdam pancreatis morbis. Halae 1817. p. 6.

3) *Becourt* l. c.

certior fiat. Modo obstructio alvi pertinax, modo diarrhoea salivalis adest, quam interdum salivatione oris aucta, constipatio alvi sequitur, nullis remediis purgantibus cedens ita ut drasticis ipsis adhibitis faeces durae siccae deponantur.

Parvae mercurii doses iam salivationem efficiunt; multis in pancreatis morbis icterus apparet. Ad dignoscendum auxilio sit organi tumefacti situs profundus inter scrobiculum cordis et umbilicum ibique sensus ponderis; interdum ctiam pulsationem tumoris sentire licet, quae arteriae aortae descendentis pressione efficitur et cum pulsu arteriae radialis isochronica est. Melancholia in omnibus pancreatis affectionibus praecipue in scirrho symptoma adnotata, an sequela [1]) an caussa [2]) sit, controversia est inter scriptores, multae tamen observationes ultimae sententiae favent [3])

Hypochondriam, hysteriam, febrem intermittentem, fluxum coeliacum [4]) nonnunquam ex pancreate affecto originem ducere posse [5]), non nego, sed pancreas affectum solam horum morborum sedem

---

[1]) *Harles* über die Krankheiten des Pancreas. Nürnberg 1812.

[2]) *Wichmann* Ideen zur Diagnostik von *Sachse*. Hannover 1817. Bd. I. S. 512.

[3]) *Wichmann* l. c. S. 486. — *Harles* l. c. S. 143.

[4]) *v. Wedekind* Aufsätze über verschiedene Gegenstände der A. W. 1791. S. 345.

[5]) *F. Hofmanni* oper. omn. physico. medic. supplem. secund. Pars II. Genev. 1753. p. 375. §. V. et § XII.

esse[1]) curamque febrium intermittentium in pancreas tantum dirigendam[2]) absurdum esse mihi videtur.

Ad pancreatis morbos maxime praedisponere videntur scrofulosis, syphilis, scorbutus.

Caussae occasionales adnotantur: Victus durus, abusus spirituosorum, acidorum, congelatorum atque vomitoriorum, magna copia mercurii sumpta, animi affectiones tristes, metastases morbosae, anomaliae fluxus menstrui, haemorrhoidalis, febres intermittentes protractae, male curatae; violentia externa, prava consuetudo juscula et potus fervidos assumendi.

Maximi momenti est, morbos pancreatis a morbis aliorum organorum distinguere.

In morbis autem pancreatis distinguendis a morbis ventriculi observanda sunt haecce.

In ventriculi morbis vomitus accidit aut statim post cibos symptos aut non tam longe, quam in pancreatis affectionibus; in his salivatio et ejectio materiae clarae plerumque insipidae, odore carentis per os et anum, quum in ventriculi morbis materia vomitu ejecta plus minusve cum cibis mixta, acris odorisque acidi sit; dolor in ventriculi morbis non tam profunde sentitur; aegroti pancreate laborantes dolorem in columna vertebrali sentire

---

1) *B. Swalve* Pancreas pancrene. Amst. 1668. p. 208. — p. 258—268.

2) *Swalve* l. c. p. 243.

sibi videntur et corpus prorsum inclinantes pondus extra ventriculo quasi ei incumbens sentiunt.

A morbis hepatis; in quibus dolor saepe in scapula dextra sentitur, salivatio spontanea deest, potius hydrops ascites, quam macies apparet. Si icterus pancreate tumefacto efficitur, fere semper tumorem profunde situm invenies, praesertim quum macies sit magna, uti esse solet; vomitus in hepatis morbis plerumque biliosus est.

Ab affectionibus lienis; quae etiam potius hydropem secum ducunt, quam maciem; vomitus si occurit, saepe cruentus est; salivatio spontanea deest.

Ab affectionibus renum; in quibus fere semper secretiones urinae mutatae sunt, salivatio deest. Dolores ad lumbos, qui in utriusque organi morbis observantur, in iis tamen pancreatis tres aut quatuor digitos transversos supra regionem renum sentiuntur et praesertim post cibos sumptos augentur[1]. Sensus ponderis quasi ventriculo incumbentis in affectionibus renum deest.

---

[1]) *Wichmann* Ideen zur Diagnostik von *Sachse*. S. 485 — Tulpius observat. med. lib. IV. p. 328. — *Harless* l. c. S. 183.

Aberrationes a prima conformatione.

Defectus pancreatis.

Quibusdam acephalis pancreas defuisse narrat Meckelius [1]). Idem quoque vitium repertum est in neonato, qui visceribus et pectoris et abdominis perverse sitis et formatis per duos dies, quos vixit, omnia assumpta evomuit [2]). Alio in casu diarrhoea observata est [3]).

Pancreas in cavitate pectoris situm reperit Voigtel [4]).

Insertio ductus pancreatici abnormis.

Bartholinus [5]) eum duos transversos digitos ab insertione ductus bilarii distantem reperit; imo etiam ventriculo ipsi innexus repertus est ductus pancreaticus in hominibus voracibus [6]); quare succo pancreatico insignis ad cibos concoquendos vis attribui [7]) sententia autem Halleri in dubium vocari po-

---

1) *Meckel* Handbuch der pathol. Anatomie. Leipz. 1816. Bd. I. S. 609.

2) *Hufelands* Journal Bd. 22. St. II. Sr 118.

3) Miscell. Natur. Curios. Dec. II. ann V. p. 114.

4) pathal. Anatomie II. 266.

5) Acta medic. Hafniens. Vol. II. XV. p. 36.

6) *Schmackpfeffer* l. c. p. 6.

7) *Bohn* circul. anat. — physiol. Progymn. 10. p. 153. — *Ettmülleri* op. omn. T. II. p. 54. cf. *Harles* l. c. pag. 176.

test, qui succi pancreatici magis esse massam cibariam modo diluere dicit[1]).

Ceterum, quod ad insertionem ductus pancreatici eiusque numerum attinet, maximas varietates invenies[2]). Sic Blasius ductum pancreaticum duplicem reperit, in homine, qui fame quasi canina laboraverat, acerbissimisque ventris doloribus vexatus fuerat.[3]).

Pancreatitis.

Vogel Handbuch der pract. Arzneiwissensch. Bd. IV. S. 325 u. flgnde.

Sprengel, Handbuch der Pathologie. II. §. 364.

William Lawrence in: Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen für prakt. Aerzte. Bd. 39. St. II. S. 277 flgnde.

Harles a. a. O. S. 171. flgnde.

Schmackpfeffer l. c.

Abercrombie l. c. S. 516.

Becourt l. c.

Morgagni de causs. et sed. Tom. II. lib. III. ep. XXX. 7. 10. ep. XLV. 23.

Dolor et sensus pressionis inter regionem umbilicalem et scrobiculum cordis sed imo in ventre

---

[1]) *Halleri* elementa physiol. T. VI. p. 453.

[2]) *Haller* l. c. T. VI. p. 440 sqq.

[3]) *Lieutaud* histor. anatom. lib I. sect. VIII. obs. 1061. — *Bartholin* epist medic. cent. IV. ep. LI. p. 330. — cent. II. ep. LXX. p. 631.

versus columnam vertebralem, ita ut dolores saepe in dorso tantum sentiri videantur, tussi, sternutatione, situ et in dorso et in latere sinistro crescentes. Abdomen plerumqne intentius calidiusque apparet; ventriculo autem impleto et ad vesperam aegrotus ipse calorem iniucundum in hac regione sentit, qui in inflammatione acuta in ardorem transit; febris moderata cum exacerbationibus vespertinis, pulsus frequentior, plenior, durior, siccitas faucium, sitis magna, ciborum fastidium imprimis durorum, anxietas circa praecordia. Corpus pronus inclinans aegrotus de pondere quasi ventriculo incumbenti conqueritur; praeterea observantur nausea, vomituritiones et plerumque vomitus ipse materiae fluidae tenacis, spumosae, salivae similis, qui in decursu morbi, praesertim quum inflammatio in indurationem transit in diem frequentior redditur Vomitus plerumque nullum allevamentum fert[1]) nonnunquam autem omnia symptomata eo mitigantur[2]). Aegrotus vero vomitum reprimere conatus, magnas in ventriculi regione patitur molestias[3]). Alvi functiones semper turbatae sunt; observatur enim modo alvi obstructio cum salivatione, modo diarrhoea salivalis. Sententia autem *Fleischmanni*[4]) dicentis quum diarrhoea cum salivatione minori ap-

---

[1]) *Schmackpfeffer* l. c.

[2]) *Morgagni* P. II. lib. III. ep. XXX. 7.

[3]) *Morgagni* ibid.

[4]) *Fleischmann* Leichenöffnungen. S. 154

pareat, pancreatitidem simplicem adesse, salivatione vero copiosa alvique obstructione pancreatitidem complicatam indicari observationibus minime probari potest, quamvis pancreatitis acuta rarissime occurrit et plerumque in hoc tantum inflammationis genere secretio organi affecti minuta est. Diarrhoea si adest plerumque excrementa tenacia, fluida spumosa deponuntur sicuti per vomitum.

Aegroti tristitia animique deliquiis vexati emacrescunt. *Lawrence*[1]) observavit olighaemiam et in erigendo corpore pulsationem in capite: in sectione cadaveris plurima organa praeter pancreas et lien exsanguia invenit.

Caussae praedisponentes: quaevis aetas, uterque sexus, scrofulosis.

Causae occasionales: Abusus spirituosorum aeque ac mercurialium, metastases arthriditis, rheumatismi, fluxus menstrui et haemorrhoidalis,

Raro idiopathica est pancreatitis plerumque sympathica cum morbis ventriculi, duodeni, hepatis aliorumque organorum coniuncta.

Exitus esse potest in resolutionem, exsudationem, indurationem, suppurationem, gangraenam.

Resolutio, cuius observationem *Harles*[2]) tradidit, rarissime observatur, fortasse quia hic morbus partim ignoratur, partim tam saepe cum aliis morbis coniunctus invenitur eiusque symptomata

---

[1]) l. c.

[2]) *Harles* l. c. S. 196.

mixta apparent. Omnium cereberrimus exitus est in indurationem; nonnunquam etiam induratio simul cum mollitie invenitur[1])

Adhaesio.

In observationibus, quarum in hoc morbo mentio fit, adhaesio quidem sed non simplex invenitur, et induratio cum hypertrophia eiusque symptomata plerumque praevalere videntur[2]). Adhaesio autem non solum pancreatitidem sed etiam hepatitidem, inflammationem aliorum hic sitorum organorum, imprimis antem inflammationem glandularum mesentericarum sequi solet.[3])

Schnackpfeffer[4]) tumoris mentionem facit, exsudatione orti, qui hic adnumerandus videtur, symptomata haecce referens: oppressio circa abdomen, dolor levis. Aegrotus antrorsum corpus inclinans locum accuratius indicare solet, ubi corpus grave et alienum sentiat; praeterea nausea, vomituritio, vomitus ipse; excretio modo pituitae tenacis, modo aquae clarae, salivae similis; facies lurida, corpus emaciatum.

---

[1]) *Abercrombie* l. c. S. 518. 519.
[2]) Miscell. Nat. Curios. Dec. II. ann. VI. p. 196.
[3]) *Harles* l. c. S. 195.
[4]) l. c. p. 10.

Induratio.

Induratione sensim sensimque oriunti plerumque sentit aeger per plures menses, imo per annos varias in abdomine molestias pertinaciter perdurantes, vel paullulum mitigatos mox redeuntes[1]); sensim vero molestiae augentur, signa dyspepsiae[2]) appetitus ciborum imminutus, nausea, vomituritiones apparent, aegrotus queritur de obtuso dolore aut sensum iniucundum in regione epigastrica habet, quasi si profunde sub scrobiculo cordis aliquid haereat, praesertim dum aeger stat erectus vel ambulat; incurvus autem sedens vel in lecto decumbens cruribus leviter sublatis levaminis aliquid percipit[3]). Dolor in regione epigastrica versus hypochondrium dextrum vel sinistrum se extendit, prout pancreatis pars dextra vel sinitra affecta est[4]); praesertim autem profunde ad vertebras dorsi continua lumbago excitari solet[5]). Ae-

---

[1]) *Joan. Rud. Rahn* scirrhorum pancr diagnosis. Gött. 1796. p. 19.

[2]) *Bedingfield* in Salzburg. med. chirurg. Zeitung 1818 Bd. I. S. 385. *Abercrombie* l. c. p. 519.

[3]) *Riolani* anthropographia lib. II. cap. XVI. p. 184 — *Rahn* l. c. p. 27.

[4]) *Rahn* l. c. pag. 26.

[5]) *Wichmann*, Ideen zur Diognostik von *Sachse* S. 482. *Joh. Ernst Greding* med. Schriften herausg. v. *C. W. Grediug*. *Greiz* 1790. Th. II. Beobacht. 42.

grotus in dorso et in alterutro latere iacere nequit, quin dolores augeantur.[1]). Idem dolor etiam post cibos sumptos augetur[2]), vomitu autem vel alvo soluta sedatur[3]). Magis magisque symptomata redduntur graviora, vires in dies franguntur, aegrotus sensu urenti per gulam ascendenti[4]) vexatur, quem materia aquosa aut interdum acida sequitur, et salivatione plerumque copiosa, ita ut interdum saliva continue ex ore effluat[5]); nonnunquam vero salivatio deest[6]); cum vomituritionibus vomitus frequens coniungitur, qui modo ventriculo vacuo[7]) modo et praesertim duas ad tres horas post coenam accidit. Alvus modo constricta modo fusa, ita ut, quo maior salivatio, eo obstructior sit alvus et vice versa. Appetitus ciborum fere nullus, sitis magna, lingua humida neque obtecta neque rubra. Materia vomitu eiecta est tenax, spumosa fusca et saepe in vase adhuc effervescere videtur[8]), modo

---

[1]) *Velse* in Halleri disputat. V. VIII. p. 140.

[2]) *Lieutaud* lib. I. sect. VIII. obs. 1011. *Fleischmann* l. c. S. 143.

[3]) *Rahn* l. c. p. 24 — *Wichmann* l. c. S. 490.

[4]) Dr. *Hohnbaum* in Jahrbüchern der in- und ausländischen Medic. herausgeg. von *Schmidt* Jahrg. 1834 Bd. III. S. 316.

[5]) *Greding* l. c. Th. II. Beob. 11. S. 9.

[6]) *Chardel* monographie des dégénérations skirrheuses de l'estomac Paris 1808. p. 157. *Kreysig* über den Gebr. der Mineralwässer. Leips. 1825 S. 156.

[7]) *Force* in Journal von le *Roux* T. 33. p. 343.

[8]) *Wichmann* l. c.

odore carens modo amari odoris; et quidem maior copia eiicitur, quam aegrotus assumpserit[1]). Si alvus laxa est, cum faecibus aut faecibus iam depositis plerumque materia spumosa[2]) deponitur, eius similis, quae vomitu eiicitur; quae materia, uti Bright[3]) refert, aut sola deposita aut mox a faecibus soluta in superficie natans, modo crassam crustam modo tenuem pelliculam formet, modo uti globuli sebacei supra natet, plerumque flavi coloris, foetidique odoris[4]). Macies aegroti magis magisque crescit, ita ut nonnunquam cutis in ossibus haerere videatur; vires exhauriuntur, vigiliae pertinaces, respiratio molestissima, anxietas, palpitationes cordis sequuntur; melancholia, tandemque febris hectica accedit; nonnunquam etiam ad finem intumescentia pedum et hydrops apparent[5]). Nonnulli scriptores pallorem continuum et in capite pulsationem (olighaemiam) observavere[6]).

Varietas nonnullorum symptomatum pendet a

---

1) *Wichmann* l. c. S. 489.

2) *Wichmann* l. c. S. 488.

3) Dr. *Rich. Bright* in medico-chirurgical Transactions. Lond. 1833 Bd. 18 p. 1—2.

4) Symptoma autem a Dr. *Bright* relatum potius ad ulcerationem duodeni, quae in omnibus casibus, quos *Bright* observavit, adfuit, quam ad pancreatis scirrhum pertinere mihi videtur.

5) *Greding* l. c. Beobacht. 11—39—47 Crampton in *Horns* und *Nasse's* Archiv Jahrg. 1821. Sept.—Oct. S. 355.

6) *Stoll* rat. medend. pars III. p. 355. *Abercrombie* l. c. S. 519. Dr. *Hohnbaum* l. c.

gradu, utque iam supra indicavi a loco indurationis: Tota enim glandula aut eius parte dextra indurata, ita ut ductus pancreaticus invius sit, alvus obstructa est, dolor in hypochondrium dextrum se extendit, situs in latere sinistro ob gravius glandulae induratae pondus difficilis est et plerumque icerus observatur; parte autem sinistra affecta dolor in hypochondrium sinistrum se extendit, situs in latere dextro difficilis et plerumque alvus magis fusa est[1].

Omnium vero certissima indurationis signa sunt constipatio alvi continua, nullis remediis cedens, praesertim si diarrhoeam sequatur[2], quae sub finem autem morbi iterum in diarrhoeam transire solet[3], et durities tactui obvia.

Difficultas autem tumoris tactu inveniendi, e variis caussis pendere potest, quae sunt: Omentum adipe plenum vel scirrhosum, intestinum colon fæcibus et flatibus distentum, hepar tumefactum induratumque, hydrops ascites, uterus gravidus.

Quam difficile autem sit, indurationem pancreatis cognoscere, si cum graviditate coniuncta est, ex observatione a *Schmitt*[4] tradita, elucet: vomitus enim, obstructio alvi, fastidium ciborum, cordisque palpitationes et ad graviditatem et ad

---

1) *Harles* l. c. S. 179—180.
2) *Becourt* l. c. p. 74.
3) *Rahn* l. c §. XV.
4) Sammlung zweifelhafter Schwangerschaftsfälle Wien, 1818 S. 172 folg.

pancreatis morbum pertinere portuerunt; abdomen tumcfactum graviditati vindicatum est, oculosque a morbo pancreatis detraxit.

Symptomata autem, quae morbum pancreatis indicare potuissent, haecce mihi esse videntur.: salivatio oris, quae rarissime in graviditate occurrit[1]) maxima macies, dolor in regione epigastrica praesertim pressu adhibito, urina chartam flavo colore inficiens, vigiliae, sitis adaucta, tandemque ad finem alvus fusa, faeces muco commixtae.

Distinguitur induratio pancreatis:

1. A cruditatibus ventriculi et duodeni, a flatibus conditione linguæ, quum in his plus miuusve obtecta, in illa autem plerumque pura sit, tum quod dolores in pancreatis induratione digestivis vel evacuantibus non sedantur, neque flatibus erumpentibus insigniter leniuntur.

2. A scirrho ventriculi vero ipso doloris situ eiusque potissimum ad dorsi vertrebas extensione, gustu fatuo rarius amaro vel acido, quod vomitus duas vel tres post cibos sumptos horas accidit, eoque maior fluidi copia ejicitur quam aegrotus assumpsit.

3. A strictura et spasmo duodeni quod in his salivatio rarius observatur, vomitus multo serius accidere solet, dolor saepe in scapula dextra sentitur.

Symptomata, quae Latham[2]) ad pancreatis

---

[1]) *Harles* l. c. S. 158.

[2]) Transactions of the college of Physicians. 4. p. 49.

scirrhum ab hepatis obstructione distinguendum refert, non probata mihi esse videntur, quum potius plurimae observationes ostendant, appetitum ciborum in affectionibus pancreatis prius deesse quam in morbis hepatis.

Observatio I.

Leonhardus Iaspers scrinarius Eupènsis triginta annos natus, parentes iam dudum, patrem ut dicit, ascite demortuum, matrem febri quadam epidemica amisit. Tres habet consanguineos, eosque sanos, praeter unam sororem, quae secundum aegroti dicta doloribus ventriculi laborat. Vaccina inserta est. Usque ad annum duodecimum aegrotus nullo morbo se affectum esse affirmat; ab hoc aetatis anno usque ad annum vigesimum, quo miles factus est, saepius dolores habuit in regione umbilicali, qui sensim eum aggressi aliis symptomatis non comitati, semel, his per diem horam durantes, ita per plures dies sese secuti sunt, tum per longum tempus non adfuere. Pressus et usus spiritus frumenti levabant, frigus, potus frigidus, brassica, acida augebant dolores, qui tempore hiemali graviores erant, quam aestivo; saepius per totam æstatem ab iis liber fuit. Appetitum ciborum, alvi functionem, urinam, vires quod attinet, nil contra normam aeger animadvertit. Stipendia faciens Postampii ab anno 1824 usque ad annum 1827 et exercitationibus militaribus multum vexatus, saepius quam antea illis doloribus est correptus, iisdem

vehementioribus magisque regionem epigastricam occupantibus; intervalla tamen plane libera erant. Saepissime in nosocomium receptus est, ubi emetica et laxantia accepit; post breve tempus doloribus liber dimissus iterum post breve tempus fuit receptus. Ita per duos annos vexatus anno stipendiorum postremo febri intermittenti tertiana correptus est. Insultus semper rediit quovis tertio die, semper tamen duas horas anteponens. Per septem hebdomades, quas hæc febris duravit, in abdomine nullum dolorem sensit. Quum in patriam rediisset per tres annos fere sanum se fuisse dicit, solummodo interdum dolores adfuisse, uti ante tempus stipendiorum, in regione umbilicali, quos potu spiritus frumenti lenisset. In autumno anni 1830, quum exercitationi militari ad Confluentes interesset, ibique refrigerio saepius sese exposuisset, doloribus in abdomine est correptus, ita ut officio satisfacere non potuerit, et inde ab hoc tempore non per unam horam a dolore plane liberum se fuisse affirmat. Domum redux a *Dr. Hesselberg* Eupensi saepius medicinam albam, alvum laxantem et spiritum camphoratum ad illinendum abdomen accepit, quibus remediis se saepius ita levatum dicit, ut laborare iterum per aliquot hebdomades potuerit, tum autem symptomata iterum reddita sunt graviora. Eo tempore saepius magna fluidi acidi copia ex ore profluxit, quod ardor in scrobiculo cordis praecedebat, et se sensisse affirmat, hinc illud fluidum in os surrexisse. Postea hoc

symptoma evanuit, vomitus autem quotidianus apparuit, raro mane, sed semper post meridiem plerumque hora secunda, quum meridie cibos sumpserit, tum quoque qost coffeam et post coenam sumptam. A tempore vernali anni 1830 usque ad initium huius anni evomuit cibos sumptos et aquam absque colore; multo maiorem fluidi copiam vomitu se reddidisse quam biberit; simul alvus erat tarda.

Propter haec symptomata a foemina quadam saepius medicinam pro thalero emit, alvum laxantem; qua quum uteretur, diarrhoea exorta est sponte per sex hebdomades perstans; vomitus quidem rarior est redditus, sed vires aeger sensit magis debilitatas. Tempore aestivo anni 1832 symptomata ad eum fere gradum augebantur, quem nunc habent et inde ex hoc tempore aeger plerumque lecto tenebatur. Accedit illo tempore sensus frigoris et dolor in dorso, qui etiam adhuc adsunt. *Dr. Alt*, quem tum in consilium adhibuit, guttas ei dedit odorem amygdalinum praebentes, sub quarum usu visus aegri est turbatus, ita ut legere non potuerit, etsi litterae magnae fuerint; simul urinam non bene mittere potuit, quamquam sensus urinae mittendae adesset, sæpius quoque putavit, urinam in lectum defluere; ex eodem tempore olfactus aegroti diminutus est.

Anno praeterito 1833 inde a Mense Martio usque ad mensem Augustum pedes tumuere usque ad suras, quantum scit in dorso pedis incipientes,

simul abdomen maiorem habuit ambitum, fuit durum; impressio digiti foveam reliquit, sed post vomitum tum temporis spontaneum, abdomen fuit laxum.

Breve tempus post fuit sicuti antea; haec symptomata sponte evanuere, quin medicum consuluerit. Quum ex huius anni initio vomitus spontaneus non amplius appareret, aeger autem prius sensisset, post vomitum dolorem leniorem factum esse, et quum nausea quidem non adesset sed sensus abdominis inflati et, ut ipsius verbis utar, „*als wenn ihm die Luft ausblieb*“, vomitum, digito in fauces immisso, excitavit. Dimidiam fere horam post talem vomitum dolor lenior est factus, et somnus, qui inde ab anno 1830, ut dicit, dolorum caussa fuit parcissimus, per duas fere horas eum recreavit, inquietus tamen, insomniis de caede, igne, fame turbatus fuit. Borborygmi, et ructus acidi iam per plures annos perstant.

Alvi tarditas, iam supra indicata, crevit, dolores auxit, et quum clysmata auxilium non ferrent, fere inde ex huius anni initio digito, quantum fieri potuit, stercus e recto extraxit. Digitum ano immissum dicit per foramen quoddam ad faeces pervenire, quod saepe non facile invenire possit. Ante sex hebdomades per duos dies diarrhoea spontanea adfuit, ita ut saepissime per diem, quadragies, parvam copiam flavi fluidi deposuerit, per quos dies dolores dicit minores fuisse. Sudor largus, frigidus per totum corpus, nocturnus et di-

urnus adest ex anno dimidio. Quod attinet ad conditionem universalem, aeger affirmat, se ex annis duobus vel duobus et dimidio in tali statu fuisse, qualis adhuc adest.

Status praesens die quarto mensis Novembris anni 1834.

Aegrotus staturam mediocrem, gracilem, maciem magnam, faciem luridam prae se fert; oculi vagantur, olfactus diminutus, lingua pura est; interdum aeger doloribus capitis obtusis vexatur.

In regione epigastrica inter scrobiculum cordis et umbilicum versus hypochondrium dextrum tumor sentitur tres digitos transversos adaequans, ibique percussio dat sonum fusciorem; eodem loco sentit aegrotus continuos dolores ardentes, quasi si vulnus adesset, ad dorsum usque se extendentes, a vertebris lumbalibus superioribus usque ad os sacrum, abdomine fortiter presso, situ in dorso aeque ac in latere sinistro adauctos; iacens autem in latere dextro aut sedens cruribus sublatis aeger sensit dolores diminutos; nonnunquam per totum abdomen, imo in pectus se extendunt dolores, et calore externo, ructibus vomituque diminuuntur. In scrobiculo cordis sensus adest, quasi si pruna ibi iaceat, in pectus ascendens, cum magna fluidi acidi copia in ore coniuncta. Sensu frigoris profunde in abdomine ad vertebras lumbales et os sacrum usque ad crura se extendentis vexatur aegrotus. Interdum digito faucibus immisso vomitum

excitat, partim ob nauseam et vomituritiones partim ut dolores leniantur.

Alvus constricta clysmate aut digito ano immisso solvitur; faeces durae fuscae; urinae modo clarae modo turbidae modo magna modo parva copia mittitur.

In corpore erigendo sensus exoritur, quasi pondus grave in abdomine decidat, intestinaque deorsum premat. Abdomen saepe tumefactum, pulsus regularis, somnus inquietus, insomniis de cibis variis turbatus, appetitus ciborum fere nullus. Aeger tristis non sperat, fore, ut sanetur.

Commilito noster Dr. *d'Ester*, cui aegrotus hoc tempore ad curandum traditus est, cognovit indurationem pancreatis simul cum hypertrophia coniunctam.

Quum iam prius extractum belladonnae et acidum hydrocyanicum nullum successum praebuissent, praescripta est solutio hydrargyri muriatici corrossivi, ita ut aegrotus decimam sextam grani partem p. d. mane et vespere sumpserit; et ad dorsum cucurbitulae applicatae sunt. Quum autem haec medicina breve tantum tempus dolores diminueret, ei tinctura opii semplex addita est; quotidie alvus clysmate ducitur aut Olei Ricini ℥ii solvitur.

Appetitus ciborum rediit, dolores leniores sunt redditi, pondus in abdomine non tam grave sensit aegrotus, quam antea, vomitusque cessavit usque ad diem vicesimum quintum, quo sponte re-

diit; hoc igitur modo materia fusca acida est eiecta. Item lactucarium et postea morpheum aceticum continuum successum non tulerunt: vomitus saepius rediit, interdum pluries per diem, appetitus ciborum magis magisque diminutus, vires in diem debilitatae sunt. Interdum etiam susurru aurium, scintillis ante oculos, sudoribus nocturnis vexatus est; pulsus durior frequentiorque est factus. Eodem eventu adhibitum est vinum Mosellanum aeque ac aqua Roisdorfiensis, pulvis aerophorus, extractum hyosciami.

Usu morphei acetici vomitus cessavit per totum mensem Februarium anni 1835, dolores fuere leniores, somnus satis quietus, pulsus minus frequens; sed pedes ad dorsum tumuere; quae intumescentia ad crura usque se extendit, quod vero aegrotum non sollicitavit, sed potius hilariorem reddidit, quum morbum in pedes transire putaret. Simulque in abdomine fluctuatio, dolores in regione inframammali pressu adaucti apparuere, ibique percussio dedit sonum fuscum. Die quinto mensis Martii intumescentia et abdominis et pedum valde diminuta, vomitus quotidianus iterum apparuit, pulsus fuit tenuis et frequens, appetitus ciborum nullus, oculi semiclausi, alvus hucusque dura et clysmate ducta nunc fusa est facta, et nonnunquam involuntarie deposita est, uti etiam urina. Aegrotus accepit succum e malo aurantium Sinensi recenter expressum, quem lubentissime bibibit, quo fac-

tum est, ut vomitus ad finem usque cessaret, desiderium ciborum maius fieret, dolores valde diminuerentur.

Die vicesimo mensis Aprilis quiete obiit.

Sectio cadaveris

rigenta novem horas post mortem instituta.

In pericardio duae unciae liquoris flavescentis fuerunt; cor parvum pallidum parvam sanguinis copiam continuit. In cavis pleurae libras duas liquoris clari limpidi invenimus. Pulmonum lobuli superiores tuberculis I. et II. stadii impleti fuere.

In abdomine observata sunt haece: Adhaesio inter lobulum hepatis sinistrum et ventriculum, lien parvus, ventriculus extensus, magna liquoris subfusci copia impletus, eius tunicae satis densae, membrana tamen mucosa non ab norma cessit. Adhaesiones inter duodenum, hepar et pancreas; tractus intestinalis nulla in re ab norma cessit. Pancreatis octo digitos transversos longi caput in ambitu trium transversorum digitorum induratum pyloro incubuit atque adhaesit; acini ipsi flavi simul cum tela cellulosa indurati. Ductus pancreatis minus fuit indurata.

E p i c r i s i s.

Plurima symptomata, qnae supra in diagnosi stabilienda retulimus, hac observatione confirmantur, quorum gravissima hoc loco repetam: dolor profundus ad vertebras dorsi, qui post pastum

et vomitu cessante crescit cum sensu ponderis in regione umbilicali conjunctus, dum aeger stat erectus vel ambulat, vomitu autem et alvo deposita lenior redditur; tumor inter regionem umbilicalem et ventriculum profunde sedens, qui et tactu et ope percussionis invenitur; sensus ardoris e ventriculo per gulam ascendentis cum magnae fluidi copiae effluxu, vomitus secunda post coenam sumptam hora, quo cibi simulque maior fluidi copia ejicitur, quam aeger sumpserit et praeseitim alvi segnities, quae cum morbi incremento semper tardior redditur, sub finem autem morbi in diarrhoeam transit, quod *Rahn*[1]) constantissimum indurationis signum habet.

Nunc autem symptomata singula eorumque relationem ad pancreatis indurationem contemplemur.

Caput pancreatis ipsum induratum et dolorem fixum in regione umbilicali et in dorso excitavit, et situm in dorso atque in latere sinistro difficiliorem reddidit; dolores autem interdum redeuntes, totum abdomen occupantes, in tractu intestinali, qui ex pancreate indurato sympathice irritabatur, sedem habuerunt, quae sententia adhuc ructibus hos dolores lenientibus probatur.

Sensus frigoris in dorso non vi vitali fracta pancreatis, sed compressione arteriarum nervorumque exortus esse videtur, quum hic sensus nequaquam in locum pancreatis solum inclusus fuerit,

---

[1]) l. c. § XV.

sed usque ad crura se extenderet[1]). Vomitus e variis caussis pendere potuit: e ventriculi et duodeni compressione, eorumque perversa secretione, e succo pancreatico perverse mixto; quae eaedem caussae pyrosin effecisse videntur. Sententia autem *Fleischmanni* dicentis, vomitum et ructum acidum morbum pancreatis semper cum morbo pylori coniunctum indicare, hac observatione rejicitur.

Adnotandum est, salivationem oris, quamvis obstructio alvi adesset, defuisse, quum tamen plerumque, uti supra retulimus, obstructione alvi praesente salivatio observetur, sed fortasse in hoc casu ejus locum tenuit pyrosis, quae primo quidem tempore adfuit, atque etiam nonnunquam deesse vidimus. Magna denique macies exorta est ex digestione tam longum tempus jam perdita, et, quas secum duxit, ex manca haematosi et nutritu; pancreas enim, quamvis in corpore sano magni momenti non esse videtur, quum in canibus absque magno incommodo excisum sit, morbose tamen affectum magnam vim in cibos concoquendos et in haematosin habere, probat olighaemia, quam susurrus aurium, scintillae ante oculos, pulsus parvus, signis inflammationis aut alius morbi cerebri absentibus indicarunt, et quam etiam *Abercrombie*, *Lawrence*, Stoll observavere.

Quod attinet ad caussam, hoc in casu pancreatidem praegressam esse mihi non videtur, nulla

---

[1]) *Störk* ann. II. p. 245.

enim symptomata eam adfuisse indicant, quum etiam primo initio morbi, ex anno aetatis duodecimo deducendo, quo aegrotus doloribus in regione umbilicali vexatus est, secretiones et excrctiones, in pancreatis inflammatione plus minusve turbatae, normales fuerint. Certam autem indurationis caussam significare non licet; fortasse etiam caussa tam levis fuit, ut aegrotus eam tum temporis parvi habuerit, posteaque eius non meminerit. Indurationem autem e caussis levibus exoriri posse, plures observationes docent [1]).

Ex medicamentis ad indurationem solvendam laudatis, maxime juvit hydrargyrus muriaticus corrosivus, nullum tamen continuum successum praebuisse vidimus; et reliquum fuit, dolores vomitumque, quantum fieri potuit, mitigare, ad quem finem per breve tempus Morpheum aceticum, postremo autem succus e malo aurantium Sinensi recenter expressus bono eventu adhibitus est, qui fortasse irritabilitatem tantum membranae mucosae ventriculi diminuens fortasse autem magnam vim in succum pancreaticum ipsum exercens dolores mitigavit vomitumque rariorem reddidit.

Certe in aliis hujusmodi casibus optandum esset, in primo quidem morbi stadio, aut quum non tam valde inveteratus esset, illius succi periculum facere, praesertim quum non facile nocere possit.

---

[1]) *Hohenbaum* l. c.
Lieutaud l. c. lib. I. sect. VIII. obs. 1018. 1027.

Vomitum interdum omnino deesse jam a multis adnotatnm est, et probatur sequenti observatione, quae eo, quod praeter irregularem alvi excretionem, tristitiam et melancholiam, et magnam maciem et appetitum ciborum dejectum, nulla alia symptomata adfuere, quae ad pancreas affectum referri potuissent digna mihi est visa, ut reciperetur.

*Observatio II.**)

N. N. miles sub fine mensis Februarii h. a. in nesocomio militari, quod Moguntii est, receptus querebatur de doloris ac oppressionis sensu in pectoris regione inferiori sinistro laterali et posteriori, qui, cum spiritum alte ducere tentaret, augebatur. Tussis omino nulla adfuit, simul vero sensus lassitudinis ac defatigationis in toto corpore; pulsus frequens parvus; appetitus ciborum nullus. Post meridiem sensus caloris in toto corpore adauctus, cutis sicca, pulsus frequentior ictus habebat fere 95, duriuseulus, sitis magna, dolores capitis. Aegrotus male nutritus, moestus et magnae tristitiae speciem prae se ferebat. Alvus ab initio tarda; cum vero venaesectione instituta unciarum fere decem ad quatuordecim et mixtura nitrosa sumpta post paucos dies dolores in pectore evanuissent, tum simul alvus fusa et diarrhoea orta est, ita ut aegro-

---

*) Hanc observationem mihi communicavit amicus Schwann, med. et chirg. cand.

tus quinquies aut sexies singulis diebus desederet. Quod evacuabatur fere aquosum apparuit. Post paucos fere dies alvus iterum constricta est facta ita ut clysmatis fere semper solvi oporteret. Ex hoc tempore vires in diem decrevere et aeger, qui jam antea moestus et morosus nunquam cum caeteris aegrotis, qui in eodem cubiculo erant, collocutus omnino omnia, quae circa ipsum agebantur, neglexerat, nunc semper in lecto mansit. Somni inquieti erant, breves et tumultuosi, ut lenissimus strepitus excitaret; deliravit aegrotus. Quum alteri aegroto fomenta frigida ex glacie in caput adhiberentur, tum ille subito surrexit, glaciem arripuit et primum ad os et ad linguam ductum, in lecto iterum collocatus, sibi imposuit in regione epigastrica. Ex pressu hac in regione nullum dolorem sentire videbatur. In diem fere infirmior factus est aeger, quin de dolore aut alia re quereretur, continuis deliriis captus et post octo fere dies summopere emaciatus obiit.

In cadaveris sectione in pectore parva pulmonis sinistri pars in lobulo inferiori hepatisata inveniebatur; cetera organa et pectoris et abdominis normalia erant praeter pancreas, quod solito majus apparuit, colore flavo, in superficie inaequale et scabrum atque omnino durum et densum, cartilaginis instar.

Suppuratio.

Dolorcs vehementes modo punctorii modo gravantes, qui modo nehpritici habentur [1]) modo et lumbos et totum ventrem occupant[2]) et sempiterno quasi cingulo medium corporis coarctantes aegrum molestant[3]). Quisque situs et in dorso et in corpore in alterutrum latus inclinando sine levamine est; pronus sedens aeger aliquid levaminis percipit[4]) Vomitus violentus materiae nigerrimae apparet, nonnunquam etiam sauguis ex ore et naribus erumpit[5]) Sedes sunt frequentiores et materia per alvum ejecta puriformis[6]) interdum sanguinea; urina turbida cum crasso sedimento; accedunt plerumque sudores frigidi per totum corpus, vigiliae pertinaces, angustiaque pectoris.

Haec affectio distinguitur ab induratione eo, quod multo celerius ad finem progreditur, et salivatio oris rarius observatur. Non semper prægreditur inflammatio, nam Portal[7]) invenit suppurationem in viro,

---

[1]) *Lieutaut.* l. c. lib. I. sect. VIII. obs. 1052.

[2]) *Tulpius* obs. med. lib. IV. cap. XXXIII. p. 328.

[3]) *Swalve* l. c. p. 312.

[4]) *Tulpius* l. c. — *Swalve* l. c.

[5]) *Lieusaud* l. c. lib. I. sect. VIII. obs. 1050. — Collections from the unpublished Medical Writings of the late caleb Hillier Parry Vol. II. p. 369. ubi vomitus purulentae et sanguineae materiae.

[6]) *Becourt* l. c. p. 74.

[7]) cours d'Anatomie p. 352.

qui subito, postquam his vel ter evomuisset, subsequenti syncope mortuus est; sicuti etiam *Schmackpfeffer*[1]) ulcus pancreatis ingens observavit in homine, qui paulo antea bene valuerit, neque unquam vomitu aliisve ventriculi morbis affectus fuerit. Interdum etiam cum febre intermittenti[2]), cum epilepsia et affectionibus hystericis[3]) conjuncta observatur. Non raro sequitur suppressionem alicujus habitualis excretionis.

Abscessus eadem symptomata secum ducit, quae suppuratio, praesertim ejectiones materiae puriformis et sanguineae; cum induratione tamen commune hoc habet, quod plerumque ex pressione hepatis et ventriculi et icterum[4]) et sensum ponderis ventriculo incumbentis efficit[5]) et quod tumorem sentire licet. *Schmackpfeffer*[6]) praeterea signum abscessui proprium indicat lumbaginem, quae tamen pro signo proprio haberi non potest, quum dolores simul totum abdomen occupare soleant.

---

[1]) l. c. p. 17.

[2]) *Tulpius* l. c.

[3]) *Lieutaud* lib. I. sect. VIII. obs. 1053 et 54.

[4]) *Haygarth* Transactions of the college of Physicians. Vol. II. 1818.

[5]) *Sommerring* im Anhange zu *Baillie* Anatomie des krankh. Baues. S. 108,

[6]) l. c. p. 18.

Gangraena.

Plerumque exitus est inflammationis, interdum tamen etiam post febres malignas[1]) invenitur.

Dolores modo obtusos modo colicae similes modo vicaces sentit aegrotus in profundo ventre supra umbilicum[2]); nausea dolores modo antecedit modo sequitur, vomitus autem rarius observatur, quam in aliis pancreatis affectionibus, adesse tamen potest[3]). Aegrotus habet sensum interni frigoris, ita ut lateres calentes applicatos non sentiat[4]) interdum calor cutis est mordax[5]) macies maxima, pulsus frequens, urina rara interdum diarrhoea adest. Plerumque ad finem animi deliquia aut convulsiones observantur, quas mox sequitur mors.

Observationem pancreatis gangraenosi tradidit *Schmidtmann*[6]) cujus autem complicatio tanta est, ut ex ea vix fructus capi possit pro diagnosi stabilienda.

---

[1]) Portal cours d'Anatomie. p. 354.

[2]) Portal gangraenam sine omni dolore existere posse dicit! pag. 354.

[3]) *Lieutaud* l. c. lib. I. sect. VIII. obs. 1056.

[4]) Miscell. Nat. Curios Dec. I. ann. III. p. 65.

[5]) Portal Anatom. medic. Tom V. p. 353

[6]) *Hufelands* Journal Bd. VII. Stück 4. S. 42.

Hypertrophia.

Fere semper complicata est cum induratione aut steatomate, quare etiam symptomata horum morborum cum symptomatis hypertrophiae conjuncta sunt, ut: dolores vehementes profundi in regione epigastrica, qui se extendunt modo per totum abdomen[1]) modo ad dorsum[2]), constipatio alvi et alia.

Symptomata autem, quae simplici hypertrophiae deberi videntur, haecce sunt: icterus, sensus ponderis ventriculo illabentis, flatus ex pressione vicinarum partium, vomitus plerumque biliosus, difficultas respirationis, palpitationes cordis, pulsus debilis irregularis, lingua flave obtecta, faeces albidae, urina fusca, hydrops, ascites rarius macies.

Atrophia.

Pancreas saepe totum aut partim consumptum invenitur in hydropicis[3]) et in iis, qui phthisi pulmonali demortui sunt[4]); interdum etiam atrophia compressione arteriarum et nervorum exoriri vide-

---

1) *Crampton* in Transactions of the college of Physicians. Vol. II. 1818.

2) Portal. cours d'Anatom. p. 356.

3) *Lieutaud* lib. I. sect. III. obs. 252. — sect VIII. obs. 1060. obs. 1599.

4) *Stoll* rat. med pars VII. p. 194.

tur [1]. Morgagni praeter affectiones ventriculi et hepatis pancreas invenit extenuatum, et symptomata refert haecce [2]):

Tensionem quandam ad hypochondrium dextrum, frequentem vomitum humoris, modo colore infecti quasi tabacci, modo multo magis fusci, quarta post cibos sumptos hora, dolorem acerbum hora ciborum confectionis, qui tamen pressu non augebatur. Hic dolor atrophiae soli deberi videtur, quum pressu non augeretur, sicut etiam vomitus; in affectionibus enim pylori vomitus prius accidere solet, et tum etiam cibi ipsi per vomitum ejiciuntur.

Tumor steatomatosus.

Aegroti doloribus scindentibus circa ventriculi fundum et in lumbis sedentibus, saepe febre conjunctis vexati, noctes insomnes peragunt; sensum amaritudinis in ore habent; apparet vomitus omnium ciborum interdum etiam sanguinis [3]) nonnunquam muci male sapientis [4]); macies, languor virium crescunt, accedit plerumque diarrhoea, quae nonnunquam ad finem obstructioni alvi cedit [5]); urina e fusco-nigra sedimentum lateritium habet. Appetitus ciborum, plerumque quidem deficiens, non semper tamen deesse videtur, immo acris fames

---

1) Portal cours d'Anat p. 358.

2) l. c. epist. XXX. 14.

3) *Morgagni* l. c. Tom. II. lib. III. ep. XXIX. Art. 11.

4) *Schmalz* in *Hufelands* Journ. Th. IV. S. 513.

5) *Westenberg* in Sammlung auserl. Abhandlungen für prakt. Aerzte. Bd, VII S. 298 flgnde.

observata est[1]). Aegroti in alvo deponenda interdum dolores in tumore sentiunt; in sedibus nonnunquam materia subnigra purulenta male foetens conspicitur[2]) et faeces separate deponuntur. Tumor plurimis in casibus sub ventriculo sentitur, interdumque is œdema crurum[3]) immo etiam paralysin extremitatum inferiorum atque involuntariam faecium urinaeque ejectionem efficit[4]).

Eadem symptomata, quae steatoma, habet fungus haematodes, ut ex observationibus elucet, quas tradiderunt *Störk*[5]), *Schmackpfeffer*[6]) *Duponchel*[7]).

Pancreas in substantiam pinguem mutatum.

observarunt *Tulpius*[8]) *Dupuytren* et *Lobstein*[9]).

Symptomata autem sunt in diagnosi generali indicata, quod observatio *Lobsteinii* ostendit, quam hic breviter enarrabo:

Joannes Fischer 45 annos natus, ex viginti quatuor annis flatibus et cardialgia vexatus, ictero

---

1) *Morgagni* l. c. Tom. III. lib. V. ep. LXVIII. Art. 12.
2) *Schmalz* l. c.
3) *Lieutaud* l. c. lib. I. sect, XV. obs. 1637.
4) *Westenberg* l. c.
5) *Störk* ann. med. II. p. 245—248.
6) l. c p. 29. sqq.
7) *Horns* und *Nasse's* Archiv, Jahrg. 1825. Maerz - April. S. 372 ff.
8) observ. med. lib. II. cap. XXXII.
9) Traité d'Anatomie pathologique. Paris 1829. Tom. I. p. 347. *Becourt* l. c.

symptomata gastrica secuto correptus est; pulsus fuit lentus; vexatus est aeger vehementi diarrhoea, oppressione in regione epigastrica, quin tamen pressus in hoc loco dolores excitaverit; appetitus ciborum bonus; saepius lipothymiae accessiones apparuere, tandem cardialgia, borborygmi, flatus, pruritus cutis, alvus dura. Aegrotus sedem dolorum indicavit locum circumscriptum inter scrobiculum cordis et umbilicum. Urina mane fusciorem colorem praebuit, quam per diem. Post sumtum mercurium dulcem facile exorta est salivatio.

Accessit ardor ventriculi, sitis magna, cardialgia post cibos sumptos, nausea. Alvo deposita aegrotus melius se habuit. Interdum liber fuit a doloribus, modo dolores acerbiores facti. Denique hi ipsi facti sunt continui, acerbissimi, vomituritiones et ipse vomitus apparuere, sitis magna, somnus deficit, vires magis magisque fractae sunt.

In secto cadavere repertum est pancreatis caput induratum, scirrhosum, tuberculis plenum, cetera pancreatis pars in substantiam pinguem conversa.

Symptomata illa omnia in diagnosi indurationis reperimus, nullumque signum ei conditioni, de qua hic sermo est, proprium adesse videmus. Haec autem observatio quoque probat, quae supra sunt dicta, diarrhoeam saepius in alvum duram transire, quod signum ad indurationem cognoscendam magni momenti esse videtur. Simulque videmus, in affectionibus pancreatis mercurium dulcem

minus ad alvum solvendam valere, sed potius salivationem procreare, quo *Harlesii* sententia probatur, qui dicit, salivam in morbis pancreatis ex ore effluentem minus in glandulis salivalibus oris, quam in pancreate ipso secerni, pro qua re etiam hoc certat, quod aegroti liquorem per gulam ascendentem sentiunt. Memorabile autem est, hoc in casu appetitum semper bonum mansisse, quem in aliis fere omnibus plus minusve turbatum invenimus.

Tubercula pancreatis.

Anxietas circa pectus, respiratio brevis, nausea, nisusque vomendi, quem ascensus materiae aquosae et mucosae per œsophagum sequitur. Aegroti conqueruntur de sensu pressionis in ventriculo et in pectore, nonnunquam etiam de doloribus abdominis scindentibus [1]); abdomen inflatur, et diarrhoea aquosa, languore in diem crescente, apparet. Pulsus celer parvusque, cutis sicca, ardens, sudores nocturni, facies lurida; parva copia urinae turbidae emittitur, calor mordax cum frigore alternans; ciborum fastidium, sitisque apparet, lingua plerumque pura est. Vigiliae denique accedunt, diarrhoea, sudores et languor fiunt graviores [2]).

Caussae praedisponentes sunt eaedem, quae tu-

---

[1]) *Stoll* rat. medend. pars III. p. 385.

[2]) *Harles* l. c. p. 143—151. *Joh. Ernst Greding* l. c. Th. II. S. 35.

berculorum pulmonum, constitutio scrofulosa, status intestinorum pituitosus, ipsae qua praesertim moerore aliisque animi affectionibus excitantur.

Calculi pancreatis.

Nonnulli scriptores[1]) calculos pancreatis raro occurrere contendunt, alii[2]) in alias partes transeunt.

Symptomata ea sunt, quae iam in diagnosi generali protulimus.

Nonnunquam dolor in crure dextro ibique sensus frigoris adsunt[3]) calculique in faecibus depositis observantur. Multum tamen pendet a conditione et copia calculorum: nam parva calculorum copia eorumque glabrorum quidem, parvum tantum dolorem, magna autem copia calculorum asperorum maiorem, imo etiam vehementem, simulque nauseam vomitumque excitare dicuntur[4]). Minime autem negligendum est, in calculos per anum eiectos chemice inquirere, acidum enim muriaticum eos facile solvere, magnamque aëris copiam expellere observatum est[5]).

[1]) *Pemberton* l. c. S. 76.

[2]) *Voigtel* Handbuch der pathol. Anatomie. Halle 1814. Bd. I. S. 554.

[3]) Miscell. Notur. Curios. Dec. I. an VIII. obs. L. p. 78.

[4]) *Sömmerring* im Anhange zu *Baillie* Anatomie d. krankhaften Baues. S. 109. *Abercrombie* l. c. S. 523.

[5]) *Pemberton* l. c. S. 76.

Lumbrici in ductu pancreatico.

Non raro famem insolitum excitare ii dicuntur[1]).

Mentionem eorum fecerunt etiam *Lieutaud*[2]) et *Bartholinus*[3]), signis tamen ab iis non relatis.

Ductus pancreaticus coalescens.

Semper fortasse, ubi occurrit, inflammatio praegressa est.

In uno casu, quem inveni, observata est obstructio alvi pertinacissima, ita ut alvus saepe per multas septimanas non solveretur: faeces erant induratissimae[4]).

---

1) *I. Rud. Rahn* l. c. §. XVI.

2) l. c. lib. I. sect. III. obs. 264 — lib. I. sect. VIII. obs. 1062.

3) *Bartholin* epist. med. cent. I. p. 254.

4) Miscell. Nat. Curios. Dec. II. ann. VI. p. 543.

VITA.

Natus sum ego *Hermannus Josephus Unckell* in pago, prope Lincium ad Rhenum sito, cui nomen est Linzerhausen, anno millesimo octingentesimo nono, die vicesimo septimo mensis Novembris, patre *Ant. Jos. Unckell*, quem jam dudum morte mihi ereptum lugeo, et matre *Maria Theresia* e gente *Stockhausen*, quam pio animo adhuc vita superstitem veneror. Fidei catholicae addictus sum. Primis litterarum rudimentis in schola triviali imbutus primum Progymnasium Lincense per quatuor annos, deinde Gymnasium Confluentinum per quatuor annos frequentavi. Tum Almam Universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam adii, ibique anno MDCCCXXXI die septimo mensis Januarii Rectore t. t. Magnifico *Gieseler* numero civium Academicorum legitime adscriptus et apud spectatissimum t. t. facultatis medicae Decanum *Harless* nomen professus sum.

Praelectiones, quas per quinque annos frequentavi, haec sunt:

Philosophicae: Logica et psychologia apud cl. *van Calker*. Physica experimentalis apud cl. *v. Münchow*. Chemia experimentalis apud cl. *G. Bischof*. Botanice generalis apud cl. *Treviranus*. Zoologia apud cl. *Goldfuss*. Mineralogia apud cl. *Nöggerath*. De historia rerum recentiorum apud cl. *Loebell*. Zoochemia apud cl. *Bergemann*.

Ex medicorum ordine mihi praeceptores fuere:

De Osteologia cl. *Mayer*. De Anatomia et generali et speciali cl. *Mayer* et cl. *Weber*, qui simul duces mihi fuerunt in cadaveribus dissecandis. De encyclopaedia et methodologia medicinae, de physiologia, de pathologia et semiotice generali cl. *Harless* et cl. *Müller*. De pathologia speciali, de morbis syphiliticis cl. *Albers*. De pathologia et therapia morborum chirurgicorum, de

morbis oculorum, de operationibus chirurgicis, de fasciis chirurgicis rite applicandis, de Anatomia chirurgica cl. *Wutzer*. De morbis contagiosis, de morbis foeminarum cl. *Naumann*. De arte obstetricia, de instrumentis obstetriciis, de medicamentorum compositione, de lu ationibus et fracturis ossium cl. *Kilian*. De operationibus ophthalmiatricis cl. *Nasse* jun. De therapia speciali, de physiologia et pathologia cerebri cl. *Nasse*. De materia medica, de medicina forensi et epizootiis cl. *Ern. Bischoff*.

In practicis exercitationibus mihi duces fuere:

In clinico propaedeutico et therapeutico per duos annos cl. *Nasse*; in clinico obstetricio per annum cl. *Kilian*, qui idem in exercitationibus in phantomate instituendis moderator mihi fuit; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico per annum cl. *Wutzer*.

In operationibus et in oculo et in cadavere exercendis cl. *Nasse* jun.

Omnibus hisce praeceptoribus, optime de me meritis, maximas, quas possum, ago gratias, semperque habebo.
